QUO TEMPORE
SOPHOCLIS ŒDIPUS REX
ACTA SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

HUGO HAGELUEKEN

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIII.

VIRO CLARISSIMO ERUDITISSIMO
CONSTANTISSIMO

COMITI DE BRUEHL

TOPARCHÆ FORSTÆ ET PORTARUM LUSIZIÆ

PRINCIPI VICARIO CURIAE DOMINORUM
BORUSSICAE

EQUITI ORDINIS CORONAE

ETC.

FAUTORI SUO AMPLISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Instituenti mihi, quo tempore Sophoclis Oedipus rex acta sit, ex ipsa fabula (quippe cum scriptorum de ea re testimonia existant prope nulla) conicere cum quod in omnibus fere antiquitatis poetarum scriptis usu venit, duae apertae essent viae vel potius fontes, unde illa quaestio redundet oportet, lingua praecipueque metrum et res ipsae quae tractatae sunt, utrum prius adirem paullulum fateor mecum dubitavi. Sed cum metri ratio minime dubia sit et in omnium conspectu sita, magis porro ut ita dicam universa et generalis, quippe cum aliae tragoediae in comparationem vocari possint, primum de metro nostrae tragoediae et quae inde de tempore fabulae conicere liceat disserendum mihi videtur.

Iam dudum a viris doctis est animadversum quo quaeque tragoedia ab Aeschyli temporibus remotior sit eo maiorem in trimetris dialogi componendis inveniri libertatem et licentiam, ita ut Euripidis trimetrorum iambicorum ratio non multum differat ab comicorum. Et enim cum apud Aeschylum, severum illum Marathonium pugnatorem, in tragoediis agerent dii, quos consentaneum est sublimi quodam et grandiloquo uti sermone, qui eum secutus est Sophocles, cum status et conditio reipublicae Atheniensis post bella Persica maris imperium nactae plane mutata essent et suo ingenio indulgens et ad eorum voluntatem qui audirent mutatam se accommodans et fingens humaniorem ut ita dicam et auditorum vitae liberiori aptiorem tragoediae indolem et formam induit, Euripides vero, qui ipse vulgi dominationi favens eiusque perverso

iudicio, arbitrio, nutui plane adulans non minus inquietos, vehementes, ardentes fingit in fabulis personas, quam essent suae aetatis homines, summa in trimetris dialogi usus est licentia. Atque haec mutatio cum tribus potissimum rebus cernatur, admissione solutionum longarum syllabarum et crebriore et licentiore, usu anapaestorum et hiatus in fine versuum, haec tria ordine persequar.

In Aeschyli Eumenidibus, quae actae sunt Ol. 80, 2 in octingentis circiter senariis triginta fere solutiones deprehenduntur, in Oreste Euripidis, acta Ol. 92, 4, in mille et ducentis senariis trecentas solutiones invenimus. Sophoclem vero, etsi medium inter eos quendam cursum tenet, fugere nos non potest in posterioribus fabulis multo saepius illas solutiones admittere quam in prioribus. Atque Antigona vix dubitari potest quin acta sit Ol. 84, 3. In qua cum vicesimus tertius quisque versus solutionem afferat, in Philoctete, quem constat actum esse Ol. 92, 3, circiter undecimus quisque versus, in Oedipo vero rege fere undevicesimus, haec fabula posterioribus sane adnumeranda videtur poetae tragoediis. Sed cum in illis solutionibus non ita magna usus sit poeta licentia, eam statuimus compositam non esse post Ol. 89, quo tempore cum vulgi dominatio inciperet ipsum Sophoclem nimia libertate in solutionibus usum esse constat. Eadem fere ratio est usus anapaesti in trimetris dialogi. Et enim in Antigona duo anapaesti deprehenduntur in nominibus propriis et in contextu versus, in Philoctete vero duodeviginti, in his quinque in nominibus propriis, omnes autem (exceptis vv. 794 et 943, ubi sunt nomina propria) ab initio versus, in Oedipo tyr. quinque admissi sunt anapaesti in nominibus propriis et versuum initio. Cum illud tertium restet, usus apostrophi in fine trimetrorum, qua licentia Aeschylus usus est nunquam, Sophocles vero, quod sciamus, semel ante Oed. regem in Antigona (v. 1031), in nostra

tragoedia quinquies,*) facere non possum quin Calliae, grammatici Atheniensis, mentionem iniciam. De hac re enim ex omnibus antiquitatis scriptoribus apud unum Athenaeum (VII. p. 276 A.) habemus haec: *καὶ γὰρ Καλλίαν* (cf. Athen. X. p. 483) *ἱστορεῖ* (*Κλέαρχος*) *τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν, ἀφ' ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μηδείᾳ καὶ Σοφοκλέα Οἰδίπουν.* Ad id comprobandum alio loco (X. c. 79, p. 453 E.) affert nostrae tragoediae v. 332: *ἐγὼ οὔτ' ἐμαυτὸν οὔτε σ' ἀλγυνῶ· τί ταῦτ'*, ut conicere liceat, hac paene una re poetis tragicis Calliam praeisse. Sed quae fuerit forma et ratio operis Calliae, in quo viri docti mirum quantum dissentiunt, accuratius disserere cum et longum sit et instituti nostri terminos excedat, id sane statuendum est, Oedipum regem post Medeam Euripidis, quae incidit in Ol. 87, 1 (432**), esse actam. Nam etsi in Antigona iam usum huius apostrophi invenimus nec in ceteris Sophoclis fabulis prorsus deficit,***) tamen magnus numerus quinque talium apostrophorum minime omittendus est. Ita neque illis assentiri possum, qui locum Athenaei prorsus negligunt et in dubium vocant neque illos†) probare, qui anno statim sequente post Medeam Sophoclem Oed. regem dedisse statuunt. E contrario existimo, neque Sophoclem eum fuisse, qui nescio cuius grammatici praecepta statim adoptaret et hanc licentiam minime pulchram, quippe quae cum senarii natura paene pugnat, tum demum amplexum esse, cum auditores in Euripidis fabulis eam probare vidisset, in posterioribus vero fabulis ad priorem usum se retulisse.

---

*) v. 29, 332, 785, 1184, 1224.

**) Hoc anno notum est Sophoclem non contendisse.

***) El. 1017 Oed. Col. 16, 1164.

†) Fr. Hermann, quaest. Oed. p. 26. Ferd. Schultz, De vita Soph. p. 84, alii.

Comprehendamus brevi ea, quae ex metri consideratione ad tempus nostrae fabulae constituendum redundant: fabula scripta est post Ol. 87, 1 (432), sed ante Ol. 89 (424).

Ut ad alteram propositi mei partem veniam disserere quae ex rebus et argumento Oed. regis de eius tempore conicienda sint, virorum doctorum adeamus sententias, ut si quae placet ei suffragemur, sin minus aliud tempus constituere conemur. Atque ut primum examinem sententiam eorum, qui v. 883 sqq. ad Alcibiadem eiusque exilium spectare rati scriptam fabulam opinantur Ol. 91, cum metri ratio hunc annum excludit tum v. 883 et qui sequuntur ita universe dicti sunt, ut ad quemlibet alium annum eodem possint referri iure. Huic sententiae fere contrariam si tempus spectamus profert Schneidewinus,*) ita tamen ut causas quas dubitari non potest quin ex argumento fabulae traxerit, addat nullas: multo ante bellum Peloponnesiacum Oed. esse actum. Sed cum metri rationem omisit, tum Calliam vel Clearchum prorsus neglexit.

Accedamus iam ad tertiam sententiam, quam a Musgravio profectam viri in litterarum regno clarissimi et illustrissimi, Boeckhius, Car. Fr. Hermannus, Welckerus, Schoellius, Gravenhorstius, omnes fere recentiores probaverunt et amplexi sunt, tragoediam nostram actam esse Ol. 87, etsi de certo anno non consentiunt.

Primus existat sententiae auctor, Musgravius. Is existimat**) neque antequam pestilentiam ipsi praesentes Athenienses vidissent neque nisi recenti rei memoria atrocissimam illam publicae cladis imaginem concipi a poeta potuisse, quam in ipso fabulae limine luculentissimis colo-

---

*) In prooemio ad Oed. R. p. 27.
**) Vide C. Fr. Herm. qu. Oed. p. 25.

ribus descriptam quasi „vivam spirantemque" nobis proposuit. Inde sequi scriptam esse tragoediam Ol. 87. Certum Olympiadis annum non constituit. Sed cum Athenienses Sophoclesque Homeri Iliadis librum primum legerant et Aeschyli non modo descriptam audiverant pestem, sed etiam si spectamus huius tragici ingenium et indolem in scena quantum quidem id fieri poterat viderant repraesentatam et ante oculos positam, tum Sophoclem, divinum illum poetam, multis annis vel ante vel post pestilentiam Athenis grassantem imaginem non minus vivam spirantemque pestis auditoribus proponere par erat. Itaque haec, nisi aliae caussae accedunt, minime faciunt ad tempus trag. delineandum.

Boeckhius*) fabulam paulo post Ol. 87, 1 datam censet, nisus potissimum grammatica illa Calliae tragoedia, quocum ei argumentum fabulae non pugnare videtur. Iam supra de eiusmodi sententia disseruimus. C. Fr. Hermannus**) eundem atque Boeckhius annum probat, aliis tamen usus argumentis. Cuius qui sententiam secuti sunt cum non multum addant, Hermanni sententiam atque argumenta paullo accuratius afferre lubet. Et primum quidem certum esse ei videtur id, quod iam Musgravio placuisse modo monuimus, ita tamen ut certum Olympiadis 87 annum constituat, tertium annum exeuntem, id est a. a. Chr. n. 429. Tum ita pergit: Multo tamen certius sententiae nostrae argumentum inde accedere arbitramur, quod proxima aestate Ol. 87, 4 Periclem mortuum esse constat, quem ipsum sub Oedipi persona exagitasse nobis Sophocles videtur. — Intelligetis inter Athenienses, quae eorum superstitio fuit (affert Ael. Var. hist. V., 17) existere potuisse, qui nulla alia de caussa pestilentiam sibi divinitus

---

*) v. C. Fr. Herm. l. c. p. 26.
**) l. c. p. 27 sqq.

immissam crederent, quam quia Pericli summam rei publicae administrandam tradidissent, qui licet non suo ipsius at maiorum crimine diis invisus piaculoque obstrictus esse videretur (cf. ἐναγής Thuc. I., 127). Quid quod id ipsum illi Thucydide teste sub initium belli Pelop. Lacedaemonii publice exprobrarunt, eo ipso consilio, ut invidiam ei apud populum conflarent, quasi infaustis eius natalibus huius belli calamitates ex parte debituri essent; unde illud quoque colligimus, si qui idem inter Athenienses ipsos iactarent, non de plebe homines fuisse, sed qui Lacedaemoniorum partibus semper faverent optimates, quos consentaneum erat nullam occasionem praetermittere, qua ad deturbandum adversarium uti possent. Porro mentionem facit offensae, quam Thuc. refert (II. 59) Periclem subiisse eamque ei existimat ab optimatium factione conflatam esse. Et alio loco: Harum (optimatium) autem partium Sophoclem quoque fuisse vel ex eius natalium splendore (at cf. Lessing. vita Soph. et Schultzium l. c. p. 19) divitiisque, quibus a pueris inde usus esse traditur colligimus neque simultatem, quam olim in praetura cum Pericle habuisse dicitur (affert Jonem apud Athen. XIII. 81, p. 604 D., unde illa „simultas" minime colligi potest) ab hac argumentatione alienam fore arbitramur . . . Accedit quod Cimonem ei iuveni favisse audimus. Haec sunt C. Fr. Hermanni argumenta, quae video (ap. Bernhardy, hist. litt. gr. II. 2., p. 325) Schoellium*) et God. Hermannum impugnasse, quorum libros frustra operam dedi ut mihi compararem. Eorum tamen sententiae qui futilia esse Hermanni argumenta putant, multis de caussis accedo. Atque ut inde exordiar, prorsus mihi videtur Sophocles a malis artibus partium

*) Is postea (in prooem. ad vers. german. Antigonae) sententiam mutavit et ad C. Fr. Herm. sententiam discessit.

et factionum se abstinuisse, quod etsi iudicem incorruptum et simplicem fugere non potest memoriae traditum est ab Jone (apud Athen. XIII. 81, p. 604 D): τὰ δὲ πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἂν εἷς τις τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων, id est, quod etiam ex iis, quae antecedunt, sequitur, talem civem se praebuit Sophocles, cui salus patriae cordi esset. At Sophoclem in tragoediis singulos quosdam agitasse et aggressum esse nego atque pernego. Sed sunt fortasse, qui mihi obiiciant Aeschylum et Euripidem. Errant quod Aeschylum, quod Euripidem non falluntur. Etenim Aeschylum quin Eumenides non tam contra Ephialtem et Periclem quam pro Areopago, venerabili illo iudicio et foro servando scripserit non est dubitandum. Quis est praeterea qui demonstret, inimicum fuisse Periclis Sophoclem! Immo familiaritas quaedam et amicitia inter hos clarissimos viros, quorum alter alteri tam multa deberet, intercessisse videtur,*) ita ut iudicem Sophoclem hanc tragoediam non scripsisse Pericle vivo. Certe id cadit in tempus belli Peloponnesiaci (sub cuius initium Lacedaemonii ab Atheniensibus poposcerant, ut Periclem quasi ἐναγῆ urbe eiicerent), propterea quod argumentum fabulae, si Pericle vivo data esset, fieri non poterat quin auditores ad hunc referrent. Neque mihi quisquam persuadebit, id fugere potuisse Sophoclis acumen. Sed ut fuerit Sophocles Pericli infestissimus, stultissime sane egisset vir prudens, si hanc fabulam vere anni 429 scripsisset. Auctor nobis est gravissimus, Thucydides. Qui postquam narravit (II. 47) paulo post alteram Lacedaemoniorum in Atticam invasionem, quae facta est exeunte anno altero Ol. 87 (vere a. a. Chr. n. 430) pestilentiam Athenis exortam esse, Periclem memoriae prodit (II. 52) ut populi ipsi tanquam auctori belli et calamitatum

---

*) F. Otfr. Müller, Hist. litt. Gr. II. p. 14.

iratos animos flecteret orationem habuisse, qua rationem suam defenderet. *Οἱ δὲ* (*Ἀθηναῖοι*) pergit *δημοσίᾳ μὲν τοῖς λόγοις ἀνεπείθοντο . . . ἰδίᾳ δὲ τοῖς παθήμασι ἐλυποῦντο . . . οὐ μέντοι πρότερόν γε οἱ ξυμπάντες ἐπαύσαντο ἐν ὀργῇ ἔχοντες αὐτὸν πρὶν ἐζημίωσαν χρήμασιν · ὕστερον δ᾽αὖθις οὐ πολλῷ . . . στρατηγὸν εἵλοντο καὶ πάντα τὰ πράγματα ἐπέτρεψαν, ὧν μὲν περὶ τὰ οἰκεῖα ἕκαστος ἤλγει, ἀμβλύτεροι ἤδη ὄντες, ὧν δὲ ἡ ξύμπασα πόλις προςεδεῖτο πλείστου ἄξιον νομίζοντες εἶναι.* Haec nemo ad aestatem vel auctumnum a. a. Chr. n. 430 non refert.*) Itaque si Sophocles vere a. 429 Periclem sub Oedipi persona exagitare conatus esset, alienissimum tempus elegisset. Quin etiam statuimus, si Sophocles iam ante condemnationem Periclis fabulam scriptam habuisset, temporibus prorsus mutatis eam retenturum fuisse nec in lucem editurum.

Sed si id ipsum concederemus, Sophoclem Oedipum nostrum vere a. 429 dedisse, poeta clarissimus pessime existimandus est rem instituisse. Et enim si Sophocles in Periclem caussam pestilentiae calamitatisque Atheniensium coniicere ab eoque poenas repetere voluisset, qui fit ut Creon, sub cuius persona nescio quis optimatium, fortasse ipse poeta latere iudicandus est, sub finem fabulae Oedipo ipsum roganti obtestantique ut finibus terrae se eiiceret, minime obsequatur, sed prius oraculum Delphicum ea de re consulendum esse respondeat (vv. 1435—1445). Quid? Periclesne etiam effecit, ut fruges terrae Atticae pestilentia correptae perirent (cf. v. 25 et v. 171 et quae infra de ea re disputabo), quod neque Thucydides ad annum a. Chr. n. 429 refert neque ii, qui spectabant viderant. Non est sane eius, qui aliquem apud alios calumniatur, ut id eiusmodi criminationibus consequi studeat quas falsas esse nemo sit qui nesciat. Ut alias

---

*) cf. Diod. Sic. XII. 45 f.

caussas afferam, qui, quaeso, comparandi sunt Athenienses cum Thebarum civibus? Hi plane innoxii pestilentiae calamitate affecti sunt, Athenienses, quae erat illorum temporum superstitio, non item, quod Periclem virum ἐναγῆ terra non expulerant. Quid? Nonne stultissimae erant insanaeque chori personae, Athenienses scilicet cives, qui in extrema fabula tantum abest ut Periclis sortem irrideant atque eludant ut misereantur atque lugeant? Quid? Quietane erat pacataque post casum et exilium Oedipi urbs Thebanorum? Minime. Idem igitur vaticinabatur Sophocles Atheniensibus si Periclem imperio exuerent nec conditionem rei publicae tranquillam felicemque proponebat. His caussis adductus C. Fr. Hermanni sententiam minime probare possum. Qui cum secuti sunt viri docti Welckerus*) et Gravenhorstius**) eo huic sententiae firmamentum et subsidium accedere existimant, quod populus et iudices tum rursus Pericli faventes Sophocli palmam eripuerint et Philocli mediocri poetae tragico primas detulerint. At Sophocles, cui sane ignotum non erat, auram popularem mutatam esse, cladem non sibi elegisset inevitabilem. Quis porro est, qui pro certo affirmare possit quid fuerit illud quo permoti iudices ita agerent? Aliae ab aliis multo probabiliores allatae sunt caussae, quibus infra nostram qualemcunque addere liceat.

Ita nec ullam sententiam de tempore quo Oedipus rex acta sit adhuc a viris doctis prolatam probare possumus et ex metri consideratione atque refutanda C. Fr. Hermanni sententia invenimus, scriptam esse fabulam post mortem Periclis et ante Ol. 89, id est intra annos a Chr. n. 429 et 424. Sed optabile sane sit, si certior annus constitui

---

*) Die Griech. Trag. mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet. I. p. 250.

**) Griechisches Theater I. 69.

possit. Ad id efficiendum primum demonstrare conabor, quid sit illud in tragoedia nostra, quo omnia referenda sunt. Sed in ipso limine ut ita dicam occurrit quaestio altera illa difficillima de ratione fati in nostra tragoedia, quae neglecta et omissa illam aggredi vetat. Primum igitur disseram de ratione fati, tum de consilio tragoediae, postremo quae inde de tempore fabulae coniici liceat proferam. Ut a Schilleri exordiar sententia, qui caecam et plenam licentiae vim fati statuit, ea, ut loquar cum Naegelsbachio,*) non a Christiana solum sed etiam a Graecorum religione abhorret. Apud Homerum quidem quis est qui neget fato divina fere humanaque omnia regi. Sed apud hunc ipsum deprehenduntur loci,**) ubi deos nonnunquam invito fato mundi regnum exercere videmus, quin etiam mortales splendidissima et egregia virtute fati cursum mutare posse miramur.

At Sophoclis temporibus cum Athenienses iucundissimam liberrimamque agerent aetatem neque ulla premerentur necessitate,***) cum Athenis ut ita dicam humanitas ipsa sedem posuisset, homines tetri atque saevi fati quandam vim inevitabilem credidisse non est consentaneum. Posterioribus quidem temporibus cum deorum cultus multis caussis labefactatus corrueret, homines putandi sunt ut sceleribus suis et sensui a religione alieno veniam quaererent†) deos pariter atque homines fato inevitabili, stulto, caeco subiecisse. Neque tamen Naegelsbachii opinio mihi placet nimia puto subtilitate ita statuentis††): „Tales sunt in Graecorum fabulis partes fati campum ac spatium

---

*) De religionibus Orestiam Aeschyli continentibus p. 1.

**) Il. XX. 336, XX. (22—)30, XXI. 517, II. 155, Od. I. 35 alii.

***) cf. Periclis orat. fun. II. c. 35—46. Oed. Col. 670, 68! Eur. Med. 824.

†) cf. Luc. *Ζεὺς ἐλεγχ.* et *Ζεὺς τραγ.* ϛ. 38.

††) l. c. p. 4.

hominibus ut aperiat, in quem immissi suam experiantur libertatem, cuius fines provisum quidem est ut ne possint excedere, sed intra quem nullis se coerceri sentiant angustiis“. Sed cur hic ipse campus ac spatium Oedipo constitutum erat, quod eum tenere videmus? Sane infelix rex nullis se coerceri sentiebat angustiis cum perpetraret nescius facinora: quae cum cognovisset saevissimo dolore correptus est. Idem Naegelsbachius aliique distinguunt ea, quae sunt initia et quasi semina fabulae, unde nascitur agendi principium, et ea quae fiunt in fabula et ex illa stirpe generantur. „Quae sunt, inquit, ipsius fabulae circumscriptione comprehensa, quae peraguntur in scena et spectantium occurrunt oculis, in iis nulla mortalibus fatalis agendi necessitas affertur, neque homines quae faciunt ea rerum ac temporum caussis adventiciis, sed suis ipsi voluntatibus impulsi faciunt“. In Oedipum nostrum haec certe non cadunt. Nam nisi Apollo pestilentiam in terram immisisset, nunquam Oedipo, qui nullius sibi sceleris conscius erat, in mentem venisset pro rege Laïo iam multis ante annis interfecto vindicem exsistere atque sua horribilia facinora detegere. Omnino autem tota tragoedia fulta est iis quae tempore antecedunt et cum iis artissime cohaeret.

Ecce autem aliqui*) quaestionem illam generalem de fato omittentes nullum fere fato locum dant, sed maiorem culpae partem Oedipo tribuunt, summo usi acumine. Quorum cum longum sit argumenta afferre pauca respondebo. Sane illis temporibus non ita magnum erat alterum qui offenderet necare, neque Thebani Oedipum cum caedem senis narravisset minus amant. Sed cur ipse pater Oedipo occurrebat? Cur omnino adibat Thebas neque proficis-

---

*) Schoellius, Ueber die Tetralogie des attischen Theaters p. 238 sqq. Gravenhorstius, Theatrum Graec. I. p. 64, alii.

cebatur in alium locum? Cur tot homines aenigma solvere non potuerunt, cur a nullo de eo edoctus (v. 37) Oedipus? Qui ipse his dilucide respondet vv. 1349—1366.

At inquiunt Oedipus ut verum quaereret oraculum consulebat neque tamen cum saevissima ei oraculum praediceret quomodo ea effugere posset ex deo quaesivit. Eiusmodi oracula narrant veteres poetae Graeci evenisse multis neque tamen ullum eorum quaesivisse ex deo tradunt ea, quae illi volunt et flagitant. Sed cur rem tam longe repeto? Legant illi nostrae tragoediae vv. 280, 281, ubi ipse Oedipus respondet choro similia ab Apolline poscenti: . . . . *ἀλλ' ἀναγκάσαι θεοὺς ἂν μὴ θέλωσιν οὐδ' ἂν εἷς δύναιτ' ἀνήρ.* Sed eiusmodi criminationibus non contenti vel ea, quae in ipsa fabula agit Oedipus summopere ei crimini vertunt. Quid? Propterea quod Oedipus ab Jocosta impulsus atque adductus deorum oracula irridet,*) idcirco quaeso patrem necavit, matrem duxit in matrimonium? Aut si pietatem erga deos et oracula servasset, illa irrita facta essent? An propter hanc irrisionem oculos sibi effodit, non propter nefasta, quae eos lucem diei videre in posterum vetabant.**) Ut brevis sim, cur Apollo illa horribilia et saeva fieri sivit, si ea in tenebris latere voluisset?***) Neque tamen prorsus nullam maculam inhaerere Oedipo statuo nec nego nimiam ex felicitate et ex prospero omnium rerum successu regem in se collocare fiduciam sui.†)

Relinquitur igitur simplicissima sane sententia et quae ut opinor non latuit illos qui missis subtilitatibus atque argutiis aperta quaerunt nec obscura odorantur. Fatum apud Sophoclem est *νέμεσις* a diis constituta qua

---

*) v. 964 sqq.; cf. Phil. 447 sqq., 1197—1203.

**) v. 1369 sqq.

***) cf. v. 377 (*ἱκανὸς*) *Ἀπόλλων ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει.*

†) cf. Aristot. ars. poet. c. 13.

non solum in auctorem peccati animadvertatur, sed etiam in eius filios nepotesque. Rectissime profecto quamvis multa aliena addat comparat Gravenhorstius*) sacrae scripturae locos ubi Jehovah iratus non solum auctori facinoris alicuius poenas minatur gravissimas, sed etiam eius propaginem sibi invisam fore edicit. Ut quae adhuc disputata sunt ad nostram tragoediam referam, quod Laïus pater in Pelopis filium commisit scelus**) eius poenas quas dii praedixerant***) non ille solum sed etiam filius solvit et dedit. Neque tamen Oedipus ipse, qui sane optime iudicare poterat spontene facinora perpetraverit necne in nostram sententiam non discedit. Conferendus versus Oed. Col.: *νῦν δ' οὐδὲν εἰδὼς ἱκόμην ἵν' ἱκόμην*, et nostrae tragoediae v. 738: *ὦ Ζεῦ, τί μου βεβούλευσαι πέρι* et addendi vv. 828, 1479, 1513, 1519, 1329 sqq., 1349 sqq. Oed. Col. 547 minimeque negligendus Oed. R. v. 1230, ubi internuntius cum Oedipi oculos effossos *πήματα ἑκόντα* nominat ea quae antea fecerat Oedipus *πήματα ἄκοντα* iudicat.

Sed quae disputata sunt, minime efficiunt tragoediae nostrae consilium, sed viam quasi ad eam inveniendam muniunt atque demonstrant. Atque cum idea id sit, ad

---

*) l. c. p. 62. cf. Sim. Sol.

**) Minus recte Franc. Peters in dissert. de peccati in tragoediis Soph. vi et natura (Progr. Conicense a. 1849) peccatum Laïi in eo quaerit quod invitis diis filium procreasset. Etenim, ut Luc. (*Ζεὺς ἐλεγχ.* 13) rectissime, etsi in aliam sententiam abiens disputat, Laïus facere non potuit quin filium ex se procrearet. — Laïus fuit primus *παιδεραστής*.

***) cf. *Χρησμὸς δοθεὶς Λαΐῳ*, etsi posterioribus demum temporibus compositus:

Λάϊε Λαβδακίδη παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς·
δώσω τοι φίλον υἱὸν · ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστίν
σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος · ὣς γὰρ ἔνευσεν
Ζεὺς Κρονίδης Πέλοπος στυγεραῖς αραῖσι πιθήσας
οὗ φίλον ἥρπασας υἱόν · ὁ δ' ηὔξατό σοι τάδε πάντα.

quod omnia referenda sint, ita ut ad id constituendum nulla pars non sit necessaria, nihil aliud egisse mihi videtur nostra tragoedia poeta quam ut ostenderet, quanta oraculorum vis atque auctoritas sit deosque quae edixerint exsequi probaret. Poeta ipse id non obscure verbis significavit. Afferre libet ex magna copia locos hosce. Cum Tiresias initio tragoediae (v. 377) dixisset: *ἱκανὸς Ἀπόλλων ᾧ τάδ᾽ ἐκπρᾶξαι μέλει*, haec verba vera fuisse agnoscit Oedipus vv. 1329 sq. et sub finem tragoediae (v. 1445) id repetit Creon: *καὶ γὰρ σὺ νῦν τἂν τῷ θεῷ πίστιν φέροις.* Conferendi praeterea v. 481 sq.: *τὰ (μαντεῖα) δ᾽ ἀεὶ ζῶντα περιποτᾶται*, et v. 1182. Cur porro Jocastam poeta impiam et oracula irridentem finxit? Ut paucis dicam, oraculis tota fulta est tragoedia saepissimeque eorum mentio iniicitur. Atque ipsae illae tragoediae nostrae *περιπέτειαι* optime faciunt ad sententiam nostram firmandam probantque vel reluctantibus hominibus et cum minime exspectetur oracula evadere vera. Nec est sane quod miremur, chori personas in fine tragoediae aliam sententiam proferre. Cives Thebani non dubitaverant de veritate oraculorum, immo Jocastam ea eludentem vehementer vituperaverant (vv. 864 sqq.). Supervacaneum igitur erat id repetere, sed regem tam carum et antea potentissimum facere non poterant quin lugerent.

Recte igitur iudicasse video Jacobsium statuentem:*) Gravi Oedipi exemplo demonstrare (poeta) civibus voluit, deorum oracula et verissima esse et sicubi contemta fuerint homines poenas dare acerbissimas, etsi postrema, ut supra demonstravimus, minus recte disputata sunt, nisi forte ad Jocastam referuntur. Sed intercedit auctor luculentissimus, Schneidewinus,**) cuius verba sunt haec:

---

*) Ap. Herm. Qu. Oed. p. 9 Not. 20.

**) In prooem. gener. ad edit. suam Soph. p. 31. Cf. Hiecke. Shakspeare's Macbeth.

Fragt man nach der poetischen Einheit oder Grundidee eines Drama's, so geräth man leicht in den Fehler, eine sittliche Gnome, eine abstracte Idee, als das hinzustellen, was fabula docet. Gewiss enthält jedes Drama moralische Lehren und bringt allgemeine ethische Wahrheiten zur Anschauung, eben weil es ein bedeutsames Stück Menschenleben, eine sittliche Welt im Kleinen darstellt . . . . Man irrt aber, wenn man meint, eben um irgend einen Satz der Sittenlehre anschaulich zu machen, seien Tragödien gedichtet. Sophocles ging bei der Erfindung und Anlage nicht von einem Satze aus, bestimmte nicht danach Stand, Geschlecht, Haltung der Charactere, sondern die Grundidee bot ihm, wenigstens im Kern, die Sage des Volks, und es war seines Amtes, diese für's Theater zurecht zu machen. Etsi multo maiore ex parte his verbis assentior, tamen statuo Sophocli „pio", cui vetus deorum religio et cultus non minus cordi fuit, quam comicis poetis (Cratinum memoro et Aristophanem), si pro religione labefactata tutor exsistebat, in tanta multitudine et varietate mythorum necessitatem impositam non fuisse fabularum indolem, personarum genus, mores, conditionem mutandi, sed qui quoque tempore mythus aptissimus videretur eum in lucem dedisse. Manet igitur, ad oracula et universam religionem tutanda scriptam esse nostram tr., atque addimus, ad Apollinis maxime, oraculorum auctoris verissimi, cultum eam referendam esse. Quam rem a nullo adhuc docto viro animadversam esse cum viderem fluctuabam. Sed accurate fabulam nostram perlegentem fugere non potest Apollinem in luce ut ita dicam tragoediae adeo versari, ut paene *Ἀπολλωνία* appellari possit. Etenim cum universa tragoedia oraculis ab Apolline datis, quorum veritas luce clarior est, fulta est tum in canticis choricis aliisque locis prae ceteris diis celebratur Apollo. Quid multa? Eos videmus, qui de eiusmodi rebus

scripserunt*) quae de Apolline Sophocleo afferunt, ex solo fere Oedipo rege hausisse. Neque aliter facere potuerunt.

Satis mihi multa verba fecisse videor quare existimem fabulam quam tractamus encomium quandam esse cum deorum in universum tum Apollinis. Sed quaesiverit aliquis, quorsum haec pertineant? Quaerendum puto, cadantne fortasse haec in certum annum temporis, quo supra demonstravimus fabulam esse scriptam, intra annos scilicet 429 et 424. Annalibus illius temporis evolutis tempus iudico aptissimum annum 426 ineuntem. Sed exstant loci scriptorum et argumenta, quibus nitamur. Thucydides postquam narravit Ol. 87, 2 (vere a. a. Chr. n. 430) pestilentiam exortam esse Athenis, l. II. c. 47 habet haec: *ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν ἢ μαντείοις καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν, τελευτῶντες τε αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι.* Pergit in eandem sententiam c. 52 . . . *Τά* (*τε*) *ἱερὰ ἐν οἷς ἐσκήνηντο νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἀποθνησκόντων· ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες ὅτι γένωνται ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως· νόμοι τε πάντες ξυνεταράχθησαν οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφὰς, ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἐδύνατο κ. τ. λ.* c. 53, §. 1, 2, 3 maximeque 4: . . . *θεῶν δὲ φόβος ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε τὸ μὲν κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ καὶ σέβειν καὶ μὴ ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾶν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους.* Neque tamen deerant teste Thuc. (II. 54) et Pausania (I. 3) qui oracula vetera recordarentur et deorum iram placare studerent. Huius verba sunt haec: *πρὸ δὲ τοῦ νεὼ τὸν μὲν Λεοχάρης ὃν δὲ καλοῦσιν ἀλεξίκακον, Κάλαμις ἐποίησεν· τὸ δὲ ὄνομα τῷ θεῷ γενέσθαι λέγουσιν, ὅτι τὴν λοιμώδη σφίσιν νόσον ὁμοῦ τῷ Πελοποννησίων πολέμῳ πιέζουσαν*

*) Jul. Heuser „de numine divino apud Soph.“ Dissert. Marburg (1844) p. 8 sqq. et Fr. Peters „Theologumena Soph.“ Diss. Mon. Questf. (1845) p. 54 sqq.

κατὰ μάντευμα ἔπαυσεν ἐκ Δελφῶν. Sed morbus qui anno 428 paene cessavit rediit auctumno anni 427. Vide Thuc. III. 87: *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἡ νόσος τὸ δεύτερον ἐπέπεσε τοῖς Ἀθηναίοις, ἐκλιποῦσα μὲν οὐδένα χρόνον τὸ παντάπασιν, ἐγένετο δέ τις διακωχή· παρέμεινε δὲ τὸ μὲν ὕστερον οὐκ ἔλασσον ἐνιαυτοῦ κ. τ. λ.* Quocum conferendus Diod. Sic. XII. 58 in.: *ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Εὐθύνου . . . Ἀθηναῖοι χρόνον τινὰ τῆς νόσου τῆς λοιμικῆς ἀνειμένοι πάλιν εἰς τὰς αὐτὰς συμφορὰς ἐνέπεσον κ. τ. λ.* Tum Athenienses gravissimae calamitatis causam cum religionem universam tum vetus quoddam oraculum (Thuc. III. 104, §. 1) neglecta existimantes deorum iram sacris maxime Apollinis restaurandis placare studuerunt. Audiamus Thuc. (III. 104): *τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος καὶ Δῆλον ἐκάθηραν Ἀθηναῖοι κατὰ χρησμὸν δή τινα . . . καὶ τὴν πεντετηρίδα τότε πρῶτον μετὰ τὴν κάθαρσιν ἐποίησαν οἱ Ἀθηναῖοι, τὰ Δήλια, ὕστερον δὲ τοὺς μὲν χοροὺς οἱ νησιῶται καὶ οἱ Ἀθηναῖοι μεθ' ἱερῶν ἔπεμπον . . . τὰ δὲ περὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ πλεῖστα κατελύθη ὑπὸξυμφορῶν ὡς εἰκὸς, πρὶν δὴ οἱ Ἀθηναῖοι τότε τὸν ἀγῶνα ἐποίησαν καὶ ἱπποδρομίας ὃ πρότερον οὐκ ἦν.* Eadem fere refert Diod. XII. 58: *οἱ δ' Ἀθηναῖοι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς νόσου τὰς αἰτίας τῆς ξυμφορᾶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀπέπεμπον. Διὸ καὶ κατά τινα χρησμὸν ἐκάθηραν τὴν νῆσον Δῆλον Ἀπόλλωνος μὲν οὖσαν ἱερὰν δοκοῦσαν δὲ μεμιάνθαι διὰ τοὺς τετελευτηκότας ἐν αὐτῇ τεθάφθαι.* Facta sunt haec exeunte anno 427 aut ineunte a. 426. Cum et Thuc. et Diod. deorum cultum neglexisse Athenienses narrent calamitate pestilentiae pressos, alia res cum illa arte coniuncta non omittenda videtur, dico Sophistarum sententias et doctrinam antiquae religioni perniciosissimam. Ad has duas res arctissime inter se coniunctas cum nostram tragoediam spectare existimem, primum de posteriore ut magis generali eiusque cum tragoedia necessitudine disse-

rendum videtur. Atque Gorgiam Leontinum, patrem ut ita dicam et auctorem Sophistarum negari non potest doctrina sua virtuti, religioni, legibus constitutis quam sit perniciosa nondum perspexisse aut saltem edicere dubitasse. Auditores vero eius et successores tantum abfuit ut ea celarent satisque haberent, si ea ipsi sequerentur ut summam operam in iis pervulgandis ponerent. Quae etsi initio probi Athenienses contemnerent atque irriderent, tamen pestilentiae tempore consentaneum est illorum impias sententias in ore fuisse multorum Apollinemque*) maxime ludibrio fuisse, cum deus crederetur pestilentiae averruncus, qui invocatus (Thuc. II. 54) opem calamitati ferre non potuisset. Atque Sophistae docebant deos, religionem, cultum a callidis hominibus esse inventa, qui ita multitudinem coercere sibique subiicere studuissent. Haec sententia quin iam primis belli Peloponnesiaci temporibus exstiterit non est cur dubitemus. Quare non incaute me facere existimo si ex Critiae, Sophistarum discipuli fidelissimi, tragoedia Sisypho, posterioribus quidem temporibus scripta, aliquot versus huc spectantes afferam. Qui postquam narravit primo ferum et *θηριώδη* hominum genus terram incoluisse vimque regnasse tum vero legibus a quibusdam constitutis *ἵν᾽ ἡ δίκη κρατῇ τύραννος* palam quidem homines iniuste non fecisse sed tamen clam et occulte, ita pergit:

. . . . τηνικαῦτά μοι
δοκεῖ πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
γνῶναι δέον θνητοῖσιν ἐξευρὼν ὅπως
εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρα

---

*) Iam Anaxagoras, qui tamen Sophistarum sectam non sequebatur Apollinem vel Helium *μύδρον διάπυρον* nominaverat.

**) Critiae tyranni carm. . . . quae supersunt dispos. . . . . Bochius. Lips. 1827 p. 56 sqq. Poet. tragic. Graec. Fragm. ed. Fr. Qu. Wagner, Wratisl. 1848. Vol. III.

πράσσωσιν ἢ λέγωσιν ἢ φρονῶσί τι.
ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰςηγήσατο
. . . . τούσδε τοὺς λόγους λέγων
διδαγμάτων ἥδιστον εἰςηγήσατο,
ψευδεῖ καλύψας τὴν ἀλήθειαν λόγῳ.
ἀεὶ δ' ἔφασκε τοὺς θεοὺς ἐνταῦθ', ἵνα
μάλιστα γ' ἐξέπληξεν ἀνθρώπους ἄγων,
ὅθην περ ἔγνω τοὺς φόβους εἶναι βροτοῖς
καὶ τὰς πονήσεις τῷ ταλαιπώρῳ βίῳ·
. . . .
οὕτω δὲ πρῶτον οἴομαι πεῖσαί τινα
θνητοὺς νομίζειν δαιμόνων εἶναι γένος.

Contra eiusmodi sententiam fugere neminem potest scriptum esse nostrae tragoediae canticum choricum, quod incipit v. 863, eiusque praecipue vv. 863—871:

εἴ μοι ξυνείη φέροντι
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων
ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκεινται
ὑψίποδες, οὐρανίαν
δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος
πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
θνατὰ φύσις ἀνέρων
ἔτικτεν, οὐδὲ μή ποτε λάθα κατακοιμάσῃ.*)

Pro altera sententia firmanda, referendam esse nostram tragoediam ad Apollinis cultum vere a. 426 cum Athenis tum Deli restitutum, ita ut poeta Oedipi exemplo proposito et probos cives laudaret et malos, qui deos esse non crederent, quin etiam sacra et sollemnia Apollinis restituta irriderent, castigaret et terreret, argumentis utor his.

Versibus 897—910 istis sacrorum irrisoribus poenas imprecari poetam, quas Jocastam subire paulo post videmus vix negari potest.

---

*) cf. v. 910. κ'οὐδαμοῦ τιμαῖς Ἀπόλλων ἐμφανής· ἔρρει δὲ τὰ θεῖα.

Initio primi cantici chorici (v. 151) *Δάλιε* invocatur Apollo, quem Thebani in Boeotia natum crederent et contenderent.

Intelligi non possunt verba (v. 895 sq.),

εἰ γὰρ αἱ τοιαίδε πράξεις τίμιαι
τί δεῖ με χορεύειν,

in quibus editores iure haeserunt,*) nisi referuntur ad choros in insula Deli restitutos (vide Thuc. III. 104 ad a. 427 exeuntem aut 426 ineuntem). Addenda ea, quae de idea tragoediae supra dicta sunt. Afferam aliud argumentum pro eodem anno vix reiiciendum. Mirum videri posset, cum ii, qui ante Sophoclem pestilentiam descripserunt, Homerus, Aeschylus, (Herodotus), nullo loco memorent, fruges terrae pestilentia correptas aegrotasse et evanuisse, Sophoclem saepius (vv. 25, 171, 255) eius rei mentionem facere atque ita, ut hanc calamitatem cum peste necessario vinculo coniunctam esse eum existimare luce clarius appareat.**) Eiusmodi res inveniri non potest, re evenerit necesse est. Atque evenit. Diodorus Sic. (l. XII. 58, 4) refert ad a. 426 haec: *συνεβάλετο πρὸς τὴν νόσον καὶ ἡ τῆς προςφερομένης τροφῆς κακία· ἐγένοντο γὰρ οἱ καρποὶ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν* (v. 427) *ἔνυγροι παντελῶς καὶ διεφθαρμένην ἔχοντες τὴν φύσιν.*

Omnibus igitur rationibus perpensis a. 426 iniens annus quo data sit nostra tragoedia existimandus est. Nunc oraculo iustus locus est et pestilentiae neque nostro anno non contentum fore spero Boeckhium eiusque auctorem Calliam, neque Musgravii et qui eum secutus est Hermanni „vivam spirantemque pestilentiae descriptionem“ repugnare.

---

*) Schneidewinus, in edit. Oed. R. ad h. v. corruptelam odoratur.

**) Loci quos Schneidewinus affert, ex posterioribus scriptoribus deprompti, nihil repugnant.

Reliquum est ut quod supra promissum est solvam, aliorum coniecturis de negata Oedipo Regi palma meam qualemcunque addere. Tempore, quo Sophocles hanc fabulam docuit, Athenis, ut supra demonstravimus (cf. Thuc. III. 87, 16), pestilentia grassabatur. Quam cum vividissimis coloribus depictam audirent Athenienses, gravissimo eos dolore correptos esse et poetae succensuisse non est mirum. Neque alienum videtur similem sane rem comparare. Atque Herodotus l. VI. 21 habet haec: *καὶ δὴ καὶ ποιήσαντι Φρυνίχῳ δρᾶμα Μιλήτου ἅλωσιν καὶ διδάξαντι εἰς δάκρυά τε ἔπεσε τὸ θέητρον, καὶ ἐζημίωσάν μιν ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κακὰ χιλίῃσι δραχμῇσι καὶ ἐπέταξαν μηκέτι μηδένα χρᾶσθαι τούτῳ τῷ δράματι.* Quid, si Athenienses miseriae atque calamitatis eorum, quibuscum cognati erant, admoneri nolebant, nonne multo iniquius ferebant ipsorum mala sibi proponi atque ostendi?